

**I. IANVARII.  
CIRCVMCISIO DOMINI  
ET OCTAVA NATIVITATIS.  
FAVSTINI EPISCOPI SERMO  
IN KALENDIS IANVARII**

**ex vetusto codice descriptus a Petro  
Francisco Chiffletio Soc. Iesv.**

[1] [Kalendæ Ianuariæ a Iano dictæ.] Dies Kalendarum istarum, fratres carissimi, quas Ianuarias vocant, a Iano quodam homine perduto & sacrilego nomen accepit. Ianus autem iste Dux quondam & Princeps hominum paganorum fuit: [qui pro Deo cultus:] quem imperiti homines & rustici, dum quasi Regem metuunt, velut Deum colere cœperunt. Detulerunt enim ei illicitum honorem dum in eo expauescunt regiam potestatem. Homines quippe stulti & ignorantes Deum, illos hinc maxime ex diis æstimabant, quos inter homines sublimiores esse cernebant. Ac sic factum est vt vnus veri Dei cultus ad multa deorum, vel potius dæmoniorum, nomina transferretur. Diem ergo Kalendarum hodiernarum de nomine Iani, sicut iam dictum est, nuncuparunt: vtique vt ei homini, cui diuinos honores conferre cupiebant, [ei anni initium, & finis dicatus.] & finem vnus anni & alterius initium deferrent.

[2] Et quia apud illos Ianuariæ Kalendæ vnum annum implere, alium incipere dicebantur, ideo Kalendas istas in termino posuerunt: vt vnum annum finire; alium incipere crederetur. Et hinc est quod antiqui idolorum cultores ipsi Iano duas facies figurarunt; vnâ ante ipsum, [Duæ ei facies affictæ] aliam post ipsum: vnâ quæ præteritum annum videtur aspicere, aliam quæ futurum. Ac sic homines insipientes duas ei facies deputando, dum eum facere Deum cupiunt, monstrum esse fecerunt. Hoc est,

voluerunt in Deo suo esse principium, quod est etiam in pecude monstruosum. Et ideo optima erroris ipsius declaratione atque indicio, dum eum religiosa vanitate magnum Deum videri volunt, dæmonium publicarunt.

[3] [Ethnici & quidam Christiani Kalendis Ianuariis monstruosas figuras induebant.] Hinc itaque est quod istis diebus pagani homines peruerso omnium rerum ordine obscœnis deformitatibus aguntur: vtique vt tales se faciant qui colunt, qualis fuit ille qui colitur. In istis enim diebus miseri homines, & quod peius est, etiam aliqui baptizati, sumunt formas adulteras; sumunt species monstruosas. In quibus quidem quæ primum ridenda ac potius dolenda sint, nescio. Quis enim sapiens credere poterit inueniri aliquos sanæ mentis, qui ceruulum facientes in ferarum se velint habitus commutari? Alij vestiuntur pellibus pecudum, alij assumunt capita bestiarum, gaudentes & exultantes si taliter se in ferinas species transformauerint, vt homines non esse videantur. Ex quo indicant ac probant, non tam se habitum belluinum habere quam sensum. Nam quamuis similitudines diuersorum animalium exprimere in se velint, certum est tamen in his magis cor pecudum esse quam formam humanam.

[4] [Alij muliebrem habitum assumebant.] Iam vero illud quale vel quam turpe est, quod viri nati tunicis muliebribus vestiuntur, & turpissima demutatione puellaribus figuris virile robur effeminant; non erubescerent inserere tunicis muliebribus militares lacertos? Barbatas facies præferunt, & videri se feminas volunt: & merito virilem iam fortitudinem non habent, qui in muliebres habitus transierunt. Iusto enim iudicio Dei euenisse credendum est vt militarem virtutem amitterent, qui feminarum specie se deformassent.

[5] Et quia Deus placatus vobis inspirare dignatus, vt pro amore fidei ista miserabilis consuetudo de hac ciuitate ad integrum tolleretur; rogo vos, fratres carissimi, vt vobis non sufficiat, quod ipsi hoc malum Deo donante non facitis; sed vbicumque alicubi fieri videritis arguite, castigate, corripite, & vestro salubri consilio de isto miserabili sacrilegio homines stultos reuocate: & vt ad integrum vos diuinæ misericordiæ consecretis, etiam illas alias obseruationes, velut diaboli venena, respuite: quas, quod peius est, adhuc plures in populo Christiano obseruare non erubescunt.

[6] [Aliæ superstitiosæ obseruationes in Kalendis Ianuariis.] Sunt enim qui in Kalendis Ianuariis ita auguria obseruant, vt focum de domo sua vel aliud quodcumque beneficium cuicumque petenti non tribuant. Diabolicas etiam sternas & ab aliis accipiunt, & ipsi aliis offerunt. Aliqui etiam rustici mensulas suas in ista nocte, quæ præteriit, plenas multis rebus, quæ ad manducandum sunt necessariæ, componentes, tota nocte sic compositas esse volunt, credentes quod hoc illis Kalendæ Ianuariæ præstare possint, vt per totum annum conuiuia illorum in tali abundantia perseuerent. Et quia sicut scriptum est, Modicum fermentum totam massam corrumpit, [I. Cor. 5 v. 6.] etiam ista vel alia his similia, quæ longum est dicere, quæ ab imperitis aut parua aut nulla peccata esse creduntur; a vestris ordinate famulis removeri: & hoc præcipite, vt sic Kalendas istas colant, quomodo aliorum mensium colere solent. Qui enim aliquid de paganorum consuetudine in istis diebus obseruare voluerint, timendum est ne eis nomen Christianum prodesse non possit.

[7] [Antiquitus vniuersale hoc die institutum ieiunium.] Et ideo sancti antiqui Patres nostri considerantes maximam partem generis humani diebus istis gulæ vel luxuriæ deseruire, ebrietatibus & sacrilegis salutationibus

insanire; statuerunt in vniuerso mundo, vt per omnes ecclesias publicum indiceretur ieiunium: vt agnoscerent miseri homines in tantum se malefacere, vt pro illorum peccatis necesse esset omnibus Ecclesiis ieiunare. Ieiunemus ergo, fratres charissimi, [Adhuc Faustini ætate seruabatur.] in istis diebus, & cum vera & perfecta caritate stultitiam miserorum hominum lugeamus: vt vel sic intelligant malum suum, dum nos pro se publicum vident obseruare ieiunium. neque enim desperandum est, quod illos Deus non possit vestra oratione corrigere, qui per Apostolum suum ineffabili pietate promisit dicens: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum.[Iacob. 5. v. 20.]

[8] [Nihil dandum ineptis hominibus bacchantibus.] Qui enim in istis Kalendis stultis hominibus luxuriose ludentibus, aliquam humanitatem impenderit, peccatis eorum participem se esse non dubitet. Nam qui de salute animæ suæ fideliter cogitat, magis de illis debet dolere vel flere, quam cum illis vel de illis ad infelicem risum suum animum relaxare. Vos vero, fratres, qui Deo propitio quotidie clamare consuestis: Oculi mei semper ad Dominum; & iterum: Ad te leuavi oculos meos; [Psal. 24. 15. Psal. 122. 1.] non oportet vt oculi vestri, qui assidue in ecclesia vigilantes Deo sanctificantur, [Non licet vel eorum stultitias spectare.] videndo luxuriam stultorum hominum polluantur. Magis dedignari debetis atque despiciere opus diaboli, vt in vobis integra permaneat caritas Christi. Clamate ergo cum Propheta dicentes: Auerte oculos meos ne videant vanitatem; [Psal. 118. v. 37.] timentes illud quod ait Apostolus: Non potestis mensæ Dei participes esse, & mensæ dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum.[I. Cor. 10. v. 21.] Sed credo de Dei misericordia, quod ita per vestram castigationem illorum stultitia corrigenda est; vt non solum pro vobis, sed etiam pro illorum qui

**vestro exemplo proficiunt, duplicata vobis a Deo præmia  
repsentur. Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum  
& imperium permanet in sæcula sæculorum. Amen.**